

247.
(91)

QUÆSTIONUM ILLUSTRUM
ETHICARUM DECAS IX.

De
VIRTUTIBUS HO-
MILITICIS, JURE ET
JUSTITIA,

Quam
Annuente Gratia divina,
In Illustri Wittebergensi Academia,

PRÆSIDE
CLARISSIMO VIRO,

M. HENRICO VELSTENIO,

Philos. Moralis Prof. Publ.

defendendam suscipiet

MARTINUS HENRICUS

Jegerndorfensis Silesius.

Ad diem 12. Septemb. horis locog. consuetis.

Gregor. mor. lib. 1.

*Res eximij pretii est inter malos laudabiliter
conversari.*

WITTEBERGÆ,

Typis Joh. Gormanni, Anno 1610.



V I R I S

MAGNIFICIS, AM-
PLISSIMIS ET CONSUL-
TISSIMIS D D. CONSULIBUS,
cæterisque Inclytæ Reipub. Jegerndor-
fensis Senatoribus, Dominis ac Me-
cœnatibus suis æternùm ve-
nerandis.

*Hoc exercitium Ethicum submissè
dedicat & offert*

Martinus Henricus

Autor & Respondens.





QVÆSTIO I.

Quot virtutes Homiliticæ, & quid sint?



*RA*viorum hætenus virtutum σκέψω vidimus: nunc, ne in serio quasi languescat animus noster, videamus illas quoque virtutes, quæ jucundiores nonnihil, quæque ἐν ταῖς ὀμιλιαῖς καὶ τῷ συζῆν, καὶ λόγων καὶ πραγμάτων κοινωνεῖν versantur, Arist. lib.

4. Eth. c. 6. atque uno nomine ὀμιλητικαὶ dicuntur. Quia verò ita reficiendus animus suavitate est, ut cum suavia tractat, à veritate ne aberret: idcirco tres cum principe Aristotele virtutes numeramus ὀμιλητικὰς lib. 4. Eth. cap. 8. sub finem: unam occupatam in suavi serio, quæ comitas: alteram in jocosò, quæ urbanitas: tertiam reliquarum duarum vinculum ac directricem, quæ veritas dicitur.

I. Comitas est virtus, per quam in familiari conversatione mediocritatem servamus, alios facile excipiendo, audiendo, cum iisdem communi cando, ita ut neminem offendamus vel molesti alicui simus. Dicitur ab Aristotele Φιλία lib. 4. c. 1, non quod amicitia sit, à qua tum formà, tum materià plurimum differt, sed quia valde accommodata hæc virtus est ad amicitiam colendam Kecker. lib. 2. Syst. Eth. c. 7. Difficile enim dictu est, quanto-

A 2

pere

pere animos hominum caritas affabilitasq; sermonis concis-
liet. Cic. 2. off. Vocatur etiam Græcis εὐπροσηγορία, item
Φιλοπροσηγορία, Latinis humanitas, affabilitas. Oppo-
sita eius sunt I. in excessu ἀρεσκία, quâ ἀρεσκῶς præter
modum & rationem honestatis, omnia sua dicta & facta
eò dirigit, ut placeat quibus cum vivit, nemini amicus, nisi
civiliter, lib. 9. Eth. c. 10. In adulatoris castra deficiens si-
mul atq; id agit, ὅπως ὠφέλειά τις αὐτῷ γίγνηται εἰς χρήματα,
καὶ ὅσα διὰ χρημάτων. II. In defectu est δυσκολία, quâ
δύσκολῶς nemini placere studet, sed semper contrarius nil
quicquam probat, nisi quod ipse fecerit, neq; etiam quenquam
tantifacit ut eum vereatur.

II. Urbanitas (Græcis εὐτραπελία sive εὐτροπία quod
possessores eius εὐτροπῶν se vertere possunt quò velint, vel
ἀπὸ τῆς εὐτροπίας τὸν λόγον, quod benè convertant aliqua
dicta vel facta in solatium, D. Thomas 22. quæst. 108.
art. 2) est virtus, qua in cōversatione jocosâ Mediocri-
tatem servamus, atque adeò quâ rectè tum jocamur,
tum aliorum jocos ferimus. Aristoteles 4. Nicom. c. 8.
Habet itidem sua extrema I. Nimum; Βωμολοχίαν ἢ Βω-
μὸς & λοχία ab ἴς, qui aris insidiantur, id est, qui hoc sine
sacrificijs intererant, ut populum oblectantes suam interim
curarent cuticulam. Keckerm. loc. d. pag. 277. Un-
de, Βωμολόχων postea nomen adepti sunt, quicumq; in jocando
modum excedat & decorum: quorum quidam Activi,
qui nimiam jocandi cupiditate flagrant, ut risum moveant,
nec sibi nec alijs parcunt: Quidam passivi, qui istiusmodi
scurris (ita Latini appellant) libenter auscultant. 2. Pa-
rum ἀρεσιότητα Rusticitatem, quo vicio qui laborant μήτε
ἀντιᾶν εἰποῖτες μηδὲν γελοῖον, πῶς τε λέγῃσι δυσχεραίνοντε. A-
ristot. lib. 4. Eth. c. 8. ad omnem convictus humani partem
sunt inepti; adeoq; secundum Philosophum ἦτοι Φαῦλοι, ἢ
ἀρεῖτ.

πρεσβύτεροι ἢ ἄνθρωποι, ὅτι αὐτῶν ἀνθρώπων ζῶν πολιτικὸν φύσει, ἔ.
Polit. c. 2.

III. Veritas (Grecis ἀλήθεια ab α ἀληθεύω, & λαθεῖν, quasi ἐλαττώματα non latentia; Keckerm. lib. 2. Syst. Eth. c. 9. pag. 288) est virtus, per quam id, quod in qualibet re verum est, solius veritatis amore simpliciter & aperte fatemur nihil addendo vel detrahendo, Gocl. lib. Eth. c. 7.

Non agimus hîc de Veritate Theoretica, quæ est vel affectio Entis simpliciter accepti, Scal. ex. 307. lect. 27. diciturq; veritas *incomplexa & Metaphysica*; vel affectus orationis *dependens ex significatarum rerum convenientia* ibid. & vocatur *complexa & Logica*: sed de veritate Practica propriè accepta pro habitu virtutis, cuius unum extremum καθ' ὑπερβολὴν est ἀλαζονεία, arrogantia, jactantia, cum quis ea quæ non habet, simulat, aut ea, quæ habet majora quam sunt venditat: alterum καθ' ἑλάττωσιν, εἰρωνεία dissimulatio, cum ea negamus, quæ nostra sunt, ad aucupandam aliorum laudem, tanquam essemus modesti. vel quæ nobis inesse manifestum est, ad vitandam suspicionem arrogantia, quasi alijs vellemus anteferri. *Sed sufficiat ista leviter delibasse, pergamus ad alia.*

QUÆSTIO II.

An homo tam tacendo quàm loquendo peccare possit?

Non prodesse tantùm, sed etiam insigniter nocere humano generi exiguum illud corporis organum linguam, quis nescit? Pittacus quidem certè, sapiens unus ex septem, iam pridem

pridem istuc docuit, qui cum peregrinans veniret in Aegy-
 ptum, & Anasi regi de pecude immolativa, quam ut hospes
 dono ab eo acceperat, & optimam, & pessimam partem de-
 beret remittere, sanè aliud nihil quam exsectam linguam
 remisit. Docuit idem Aesopus quoque; qui iussus convi-
 vis Xanthi heri sui optimam & pessimam parare caenam, uni-
 versas utriusq; epulas linguis instruxit, ut loquitur Camera-
 rius in ejus vita. Docent idem atque calculo suo compro-
 bant, Salomon in Proverbiis suis, cap. 18, v. 21. & Iaco-
 bus cap. 3. alibi. Planè ut neque melius quicquam, neq;
 pestilentius linguâ, adeoq; vita & mors in ejusdem manibus
 esse videatur. Prov. 18. Caterum nos sepositis linguae utilita-
 tibus, eam jam duntaxat contemplabimur quatenus peccat,
 & nocet, planè καὶ ἐπαγωγὴν facturi istud & nimium tacen-
 do, & nimium loquendo in societate humana creberri-
 mè fieri. Ac primum quidem membrum satis probant:
 I. Verbi divini præcones, qui cum à DEO hoc habeant
 præcepti, ut in redarguendis publicè cœlesti doctrinæ contradi-
 centibus Tit. 1. v. 9. & taxandis auditorum vitijs ἐκκαί-
 ρως ἀκαίρως 2. Tim. 4. v. 2. & ἀποτόμως Tit. 1. v. 13. vocem
 suam exaltent instartuba Es. 58. v. 1. ipsi interea neque
 calidi neque frigidi, sed tepidi; Apocal. 1. v. 15. Sed δι-
 ψυχοι lac. 1. 15. sed διλογοι 1. Timoth. 4. v. ἐν λόγῳ κολανεί-
 ας 1. Thes 2. v. 6. claudicant in duas partes, 1. Reg 18, v. 8. 21.
 Et ad adversariorum auditorumq; errores muti sunt canes, &
 vigiles cæci ac somnolenti Es. 56. v. 10. Non cum auditorum
 duntaxat sed suarum potissimum animarum damnatione
 Ez. 3. & 33. & c.
 II. Judices, quibus lingua muneribus venalis, ijs ac-
 ceptis ita irretitur, ut quando verum judicium administran-
 dum Zach. 7. v. 9. planè obmutescant. & cum Demosthene
 vel Demade ἀργυροαγχλῶ patiantur, Gell. lib. 11. c. 9. &
 10, capitulis

19. capitis damnati à duodecim tabulis Romanorum, Idem lib.
20. c. 1. item legib. Christiana religionis Lev. 19. v. 15. Deut.
27. v. 19, 25. Prover. 17. v. 25. Esa. 5. v. 20 23.

III. Athei qui quod nunquam aut raro perpende-
runt sibi à Deo esse linguam & os formata, Exod. 4, v. 11.
Fis toto vita suæ cursu vix semel in conditoris laudem utun-
tur, sed cum cateroquin Dodoneos referant lebetes, hic qua-
vis statu à taciturniores deprehendantur.

IV. Omnes denique qui occultant & dissimulant
veritatem, ubi erat proferenda, id est, ubi gloria DEI
& salus Ecclesiae, Reipub. & proximi requirebat. ut loqueren-
tur; Quo pacto Amiclas silentium perdidit: & Fulvia sum-
mam suæ patriæ importasset cladem, si conspirationem catili-
nariam sibi à Q. Curtio sceleris particeps aperitam & ipsa oc-
cultam habuisset, Salust: inbell. Catil. Tacendum e-
nim semper est, nisi cum taciturnitas tibi noceat, aut
oratio aliis prosit, ut habet apophthegma Maronis Donat.
in ejus vita.

Loquendo autem à quibus, quot modis, ubi &
quam crebriò peccetur, si vellemus hic persequi, integer
nobis cum Erasmo conscribendus esset liber. Super-
sedentes igitur isto labore principes duntaxat in ista garruli-
tatis, & vaniloquentia acie attingemus:

I. Illos, qui perjuriam & blasphemias cructant: qui sa-
cramentis & vulneribus Christi aliisque rebus illicitis
impiè ad scelera sua & iracundiam testificandam ab-
utuntur. II. γλωσσομάχοις ac rabulas forenses
Iqui frusto panis conducti, quod M. Cato obiecit M. Caci-
o, Gel. lib. 1. cap. 15. verbis legum callide ac subdole inter-
pretandis & detorquendis vel totos conficiunt dies. & Ma-
gistratum in auxilium mala cause ita garriendo obtundunt,
ut ubi tandem desierint, quid dixerint nesciatur.

III. Batio-

III. Battologos, quibus si quid concreditum est sub rosâ
amicorum. Lemn. de herb. bibl. explicat. c. 45, vel à senatu
ac principe ita parturiunt, ut jam jam disrumpi quasi videan-
tur. nisi maturè offendant, in cuius aures istud oneris depo-
nant. IV. Obrectatores, qui vel proximi vel homi-
nis inferioris sortis famam nefariè adulterant alienaq; virtu-
tis detractioe laudis aliquid sibi querere satagunt.

V. Adulatores, quorum lingua ad ejus linguam sese ac-
commodat. qui cum conversantur. ait quis, ajunt, negat, ne-
gant & ipsi, gemini planè Gnathoni illi Terentiano, Eun.
act. 2. sc. 2. & act. 3. sc. 1.

VI. Incantato-
res, & incantatrices, deblaterando quedam verba magica,
DEVM in cœlis, creaturas in terris, cacodæmonas in inferno
inquietantes.

VII. Omnes denique, qui πῆδος χάρις
principum virorum, vel populi, consilia & verba inflectunt.
Goel. in quæst. Eth. 108. qui Magnatibus pro pietate securis
tatem, pro pace bellum non necessarium, pro clementia crude-
litatem insusurrant, qui teneram ætatem verbis obscenis infi-
ciunt, qui quocunque modo loquuntur, ubi tacuisse fuisset sa-
tius. Quis enim hæc in parte delinquentium certum inire
possit numerum? Quis tantâ præditus facundiâ, ut pro digni-
tate suis eos posset describere? Nos hic subsistemus, ne si lingua-
cum, garrulorum, nugonum istorum enumerationi diutius im-
moremur, & ipsi in eorum societatem nomen dedisse videa-
mur. Felix iterumque atque iterum felix τὴν ἑσπέρην τῶν ὄντων δὲ, καὶ
ἀέριον τὰ καίρια Gell. lib. 13. cap. 17,

QUÆSTIO III.

An omnia mendacia peccati ratio-
nem habeant?

Variè à variis disputatur hæc quæstio. Quidam ἀπλῶς
negant, quidam affirmant. Partem negativam astru-
unt,

unt, 1. exempla sanctorum, quos mentitos, neque tamen propterea peccati accusatos fuisse scimus ex sacris Bibliis.

I. Abraham conjugem Saram dicit sororem, Gen. 12. v. 13. c. 20. v. 11 & cum iret immolatum filium, filio respondet, Deum sibi de victima aliqua prospecturum, quod tamen futurum minime credidit. II. Isaacus factum illud prius parentis sui imitatus est. Gen. 26. v. 7. III. Rebecca, cum filio Iacobo mentiendo aufert benedictionem πατρωνικός Gen. 27. v. 5. & sequent. IV. Ioseph fratres nominat exploratores. Gen. 42. v. 9. V. Obstetrices Aegyptiae fallunt suum regem, Ex. 1. v. 18. & 19. VI. Rahab dicit ministris regis exploratores Israeliticos abiisse, quos in solaris infralini cauliculos abdiderat, Jos. 2. v. 4. 5. VII. Ionathas ementitur coram parente profectioem Davidis Bethlehenum, 1. Sam. 20. v. 28. 29.

II. Probant idem apologi, prosopopoeia, hyperbolae, aliaeque locutiones figuratae Rhetorum, Poetarum; quae licet haud raro plus dicant, quam quod in re est, à nemine tamen haecenus peccati damnatae fuerunt.

Pro parte affirmativa militat 1. duae regulae humanarum actionum, una heterogenea & ὑπερτερῆς & sacer codex, in quo generaliter omne mendacium videtur prohiberi Lev. 19. v. 11. Non mentiemini, neque decipiet unusquisque proximum suum. Zach. 8. v. 19. veritatem & pacem diligite tantum, ut D. Lutherus reddidit, Psal. 5. v. 7. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Sapient. 1. v. 11. Os quod mentitur, occidit animam. Et vindex generis humani in N. T. sermo vester, inquit, sit est, est, Non, non, Matth. 5. v. 37. cui subscribit D. gentium Eph. 4. 25. Altera homogenea & σύμμετρη & lex videlicet naturae, & recta ratio, quae monstrat τὸν ἕξω sive προφορικόν, & τὸν ἐν τῇ

B

ἐν τῇ

ἐν τῇ ψυχῇ sive λόγον ἐνδιάθετον 2. Anal. cap. 8. debere
convenire, & ut νοήματα sunt σημεῖα καὶ ὁμοιώματα τῶν
πραγμάτων Aristotel. περὶ ἐρμην. cap. 1. Ita ῥήματα τῶν νοη-
μάτων typum atque imaginem esse debere. Contra has
duas regulas quicquid fit, male fieri censetur. I. Finis τῶν ῥη-
μάτων, qui non est, ut homo hominem ijs decipiat, aut ladat,
sed ut alter cum altero animi sensa communicet III. Edi-
ctum Pauli, qui vult, ne fiant mala, ut eveniant bona,
Rom. 3. v. 8. VI. Argumentum Thomæ 22 Quest 110. art.
3. quod est secundum se malum in genere, nullo modo potest
esse bonum, & licitum. Atqui mendacium est tale, per se
ait Aristotel. 4. Eth. c. 7, mendacium pravum est, & vi-
tuperatione dignum.

Nos ibimus in medio, distinguentes inter mendaciū
perniciosum, officiosum & iocosum, Thom locod. art. 2.
Perniciosum est, uti Augustinus definit, falsa vocis signifi-
catio cum voluntate seu intentione fallendi. Ad cuius
perfectam constitutionem requiritur, ut dicatur
כָּלֵב וְלֵב è corde & corde Psal. 12. v. 3. id est, ut falsum esse
constet, quod tamen ut verum profertur. II. Ut contra-
rii veri confessio sit necessaria, iusta & utilis. III. ut
directum sit vel in contumeliam DEI, vel in detrimen-
tum proximi, vel hæc si absint, ut ex ingenii levitate ob-
causam nec honestam nec probabilem dicatur: Quem-
admodum notas has recensent. D. Chemnit. par. 2. loc.
Theol. D. Rungius disput. Catech. 9. Thes. 20. uterque
de Octavo præcepto. D. Gesnerus super Genesin c. 27.
pag. 536.

Officiosum mendacium est, quo vel honor Dei
vel salus publica, vel salus proximi, vel propria promo-
vetur

vetur. Sumimus enim illud non pro contrario ve-
ritatis, sed pro ejus temperamento, ac limitatione ad
prudentiam certasque circumstantias Keckerman. lo-
co dicto pag. 296.

Iocosum est, quod non fallendi aut nocendi, sed
oblectandi gratiâ suscipitur, cujusmodi *Poetarum in
scena & urbanorum in vita communi.* Jam responde-
mus: Si quæstio sit de mendaciis perniciosis, concedi-
mus omnia omninò peccati rationem habere, quia sunt
ἀνομία; quæ est peccatum 1. Iohan. 3. v. 4.

Si de officioso & jocosio, negamus, in genere, quia ut
mendacii propriè sic dicti, & in Decalogo prohibiti, ita
peccati definitio iis non competit. Quare nec defi-
nitum. In Specie. 1. Iocosum peccati nomen non mere-
tur, quia *jocari bono viro licet.* Sermo enim noster sit
cum gratia sale conditus Col. 4. v. 6. II. Neque of-
ficiosum. 1. quia *D E O* debemus cultus promotionem,
Ecclesie & Reipub. mali propulsiōem, proximo dilectionem,
nobis ipsis propriæ utilitatis promotionem: quibus partibus
illud constat. 2. quia *occultatio, quæ adhibetur ob hone-
stam & justam causam in rebus, quas dicere non est necessa-
rium, justum aut utile, non est mendaciam.* Chemn.
par. 2. loc. Theol. pag. 235. 3. quia *cum veracitas dis-
rigatur à prudentia, ita veraces esse debemus, ut simul et-
iam simus prudentes.* Neque enim *Margaritas projecia-
mus ante porcos* Matt. 7. v. 6. Sed *prudentes simus sicut
serpentes,* cap. 10. v. 16. 4. Denique quia non tene-
mur semper omne verum dicere, si maxime teneamur par-
tem veri dicere, Keckerm. lib. 2. Syst. Eth. c. 9. pag. 289. 290.

B 2

Vbi

Vbi posteriorem canonem explicat exemplo Athanasii, qui cum in fuga tyrannidis Arriana naviculâ, non sine divini numinis directione de repente in occursum hostium insequentium obversa, ab ijs, quibus persuasum erat fieri non posse, ut Athanasius cymbâ ea sederet, interrogaretur; nunquid nō vidisset Athanasium illum praterirentem, respondit: modò huc ibat. Quod si Athanasius omne tum dixisset verum, in se ipsum certè maximè fuisset injurius.

De exemplis suprâ allatis, quia non sunt ejusdem generis, distinctè iidem & cautè judicandum est, ne contra scriptura mentem sanctos illos homines vel mendacij vel peccati reos agamus. Abrahami quidem & Isaci mendacium quo in conjugibus pro sororibus venditandis usi sunt, peccato non caret, quia isto modo in DEUM, cujus promissioni ipsis facta diffidunt, Gen. 12. v. 3. Et in proximū, dum regi occasionem ad adulteriū: præbent. Et in se ipsos denique gravissimè peccarunt, nisi enim magnatum istorum potestas divinitus fuisset inhibita, haud dubiè in summo stetitissent vitæ discrimine. D. Hunn. quæst. super Genes. cap. 12, pag. 242. Et Gesnerus super idem cap. quæst. 8. & cap. 26. quæst. 3. Excusat eos Hieronymus causâ facti redditâ, quòd respexerint ad consuetudinem regum Orientalium, quibus mulieres totum annum pigmentis prius & aromatibus fuerunt excolenda, quàm cum ijs concumberent quod patet exemplo Esther c. 2. v. 10. intra quod tempus vel famem è Chanaan profligatum, vel suas sibi uxores divinitus restitutum iri sperarint. Verùm si per aliquam causam excusandi, potior fortassis fuerit illa si dicatur, eos Prophetico Spiritu felicem eventum prævidisse. Quo etiam pacto mendacia Abrahami in itinere ad immolationem filii dicta, à quibusdam excusantur. Reliqua exempla omnia juxta definitiones & regulas supra traditas examinata.

minata, à peccati nomine liberantur, & referuntur partim ad mendacium jocosum, ut Josephi, & locutiones hyperbolicæ à D. Rungio loco antea citato, & comment: in Gen. pag. 1245. partim ad officiosum, ut reliqua ab eodem, ibidem pag. 403. 822. 823. à Doct. Hunnio, artic. de Provident. pag. 86. Hæc semper tamen cautione addita, ne quis temere personalia illa facta imitentur.

Argumenta pro parte simpliciter affirmante, ut 1. 2. & 4. loquuntur, & vera sunt de mendacio pernicioso φύσει ἄσπιδως & semper malo. Ad 3. exciperet Aristoteles; ἐνίοτε, καὶ ἐπαμύνηται, ὅταν αἰχρὸν ἢ ἡλυπηρὸν ὑπομένωσιν ἀντὶ, μεγάλων καὶ καλῶν. 3. Eth. cap. 1. ubi si per aichron factitatem externam intelligit, quo modo Zopyrus Persæ nasum, labia & aures sibi pracidit, ut Babylonios in Darij, regis sui potestatem redigeret. Justin. hist. lib. 1. ad finem; aliquo modo ab eo stamus, Goclen. quæst. Eth. 57. sin sceleratas actiones minimè; sed distinguimus ad locum Pauli cum nostris Theologis inter mala poenæ & culpæ, inter mala πρὸς τὴν ἡμιστέραν αἰσθησιν & πρὸς τὴν ἑαυτῆ φύσιν. D. Pelargus sup. Damasc. lib. 4. c. 20. de Orthodoxa fide pag. 230. In illis ἄπρωτες οἰνῶν ἔχοντες mercatores ἐν τοῖς χειμῶσιν ἐπὶ σωτηρίᾳ αὐτῶν, καὶ τῶν λοιπῶν merces ejicunt. Aristot. locod. Neque ullus viator adeò demens est, qui ad redimendam vitam latroni pecuniam deneget. David certè propositis tribus istiusmodi malis eligit & facit quod censet minus 2. Reg. 24. v. 13. In hæc ad eliciendum aliquod bonum nullus hominū sine salutis dispendio consentire potest. Quanquam & hic non postremi nominis Theologi distinguant inter actum ordinarium & casum necessitatis. Ex horum autem malorum catalogo duo posteriora mendaciorum genera delenda esse jam supra evictum est.

B. 3.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.
Doli & stratagemata an licita
& concessa?

Non ad bellum modò extensam volumus questionem, verum etiam ad vitam hanc nostram communem, ab armis remotam, in quâ ipsâ quoque dolorum ejusmodi usus non est infrequens. Distinguimus autem cum Ictis inter bonum dolum, & malum: Illum dicunt esse cautionem in ejusmodi rebus, quæ per se, & sua natura nec bonæ, nec malæ sunt, ut in vendendo & emendo interdum dolus bonus admitti potest, cum nempe non decipitur emtor aut venditor, sed pro annonæ ratione id agitur; quod ex vero est, sive id simplex & stupidior emtor animadvertat sive non. Atque hunc sanè dolum in medio relinquimus. Alterum autem illum malum, & propriè sic dictum, cum ex destinationi quadam malitiâ & consilio, atque instituto alterum decipiendi & fallendi proficiscatur, licitum esse pernegamus: quippe, qui in Decalogo prohibeatur: impingit enim in charitatem proximi; & Paulus fraudem magis ferendam, quam inferendam dicit, 1. Cor. 6. v. 7.

Stratagemata autem in bello quod attinet, licet multi sint, qui negent, licita esse, propterea quod viri sit non fraude neque occultis, sed palàm & armatum hostes suos ulcisci, Tacit. 2. Ann. neque vir quisquam alta mentis clanculum velit occidere hostem. Euripides in Rhés: & Alexander referente Arriano dixerit: αἰσχρὸν εἶναι κλέψαι τὴν νίκην, ἀλλὰ φανερώς καὶ διχα σοφίσματα ἔχῃναι νικῆσαι τὸν Ἀλέξανδρον: nos tamen ea omninò licita esse existimamus.

1. Quod doli propriè sic dicti non sint, id est, mali: quia

quia suscipiuntur animo necessaria defensionis, & animo parcendi suis militibus & subditis. Keckerm. Syst. Eth. lib. 1. pag. 118.

II. Si praestat victoriam sine suo periculo, quam cum militum periculo parare, utiq; stratagemata non adeo erunt repudianda, cum hac illorum intentio sit & finis. At verum prius E. & posterius.

Assumptum constat ex Polyb. Antag. qui summa inquit, putatur ducum gloria, victoriam sine periculo comparare: maxime si fortiores hostes extiterint & magis milite instructi. Procop. lib. 2.

III. DEUS ipse multorum stratagematum auctor fuit: Sic Iosua mandat, ut civibus Aemiticis insidias struat, Ios. 8. v. 2. Sic idem Deus jubet Davidem Philistaeos a tergo adori. Stet igitur, stratagematum usum in bellicis esse honestum & legitimum. Dolus an virtus quis in hoste requirat? Virg. 2. Aen. Duo tamen notari volumus. 1. ut bellum sit justum; recte enim ait Augustinus lib. 6. quaest. 10. super Iosuaam: cum justum bellum suscipitur, ut aperte quis, aut ex insidijs agat, nihil ad justitiam interest. 2. Ne spes & fides hosti data frangatur, Reusn. in art. stratag. lib. 2. c. 5. quaest. 4. Distinguendum enim est inter hostem simpliciter talem, qui cum nulla inducia facta sunt, & foedera; & inter hostem foederatum. Ille decipiendus est. Hunc autem fallere injustum est; & impium, Argesilaus apud Plutar. in Laco. Et Florus ait: eam esse veram victoriam, qua salva fide & integra dignitate paratur, 1. lib. c. 12.

Argumenta contraria quae obijciuntur, si loquantur de hostibus simpliciter talibus, & de iis stratagematis, quibus & in foedus atque fidem & dignitatem peccatur, admittimus: sin secus: eadem facilitate qua adducuntur, rejiciuntur.

QVAE.

Q U Æ S T I O V.

An hæreticis sit servanda fides?

Nolumus hic anxie & curiosè dispicere, quinam Pontificiis hæretici sint, qui nobis: *Illine; qui vel levi argumento à judicio Papisticae religionis ac tramite detecti fuerint deviare, hoc est, qui Franciscanicis & id genus alijs sexcentis fabulis credere nolunt: an verò illi, qui doctrinam cum regula fidei pugnantem legitimè admoniti & convicti; tamen & contumaciter tuentur & disseminant, Vide Brut. fulmen, pag. 133. hæc, inquam, singula missa facimus: illud quaerimus: an hæreticis quocunque tandem nomine hoc hæreseos crimen ipsis impingatur, sint vel pacta vel jura-menta vel alia quæcunque denique, quæ salvi condu-ctus fidem promiserunt, servanda. Negant Pontificii, affirmamus nos; idque his rationibus atque argumen-tis I. Si mendacium ac perjurium prohibitum est, uti-que fides erit servanda. *Atqui verum prius E. &c. con-nexio majoris manifesta est ex naturâ oppositorum.* Mi-nor probatur Exod. 20. v. 7, Deut. 5. v. 11. Levit. 19. v. 4. Zachar. 5. v. 4.*

II. Si hosti vel terribissimo fides servatur, quidni et-iam hæreticis? *Atqui hostibus servatur fides. E. &c. Ma-jor manifesta est. Nam licet in hoc discrimen aliquod vi-deatur esse, quod hæretici animis nostris æternam perniciem, illi autem rebus duntaxat publicis & fortunis exitium moli-antur: tamen ista hic quidem diversitas ad rem nihil quic-quam facit.* Si enim tum non attenditur ista animo-rum fides, atque religio, cum promittitur; cur quæso attendatur demum in servando? Certè qualis promissio, talis itidem servatio. *Sunt enim relata. Atqui pro-missio sit absque respectu fidei illius salvifica. Si enim fidei ille respectus*

respectus attenderetur, nulla unquam potuissent fieri cum
Turcis inducia, quippe qui prorsus a deo; quòd ἀτοπον. Ergò &c.
Assumptio autem superioris principalis Syllogismi pro-
tur. Iosua enim Israelitarum Imperator olim, tametsi fraude
circumventus esset, nec ullà eum iurijurandi religione obligari
potuisse ceteri duces contenderent: tamen Gibeonitis fidem da-
tam servavit, iol. 9. quam postea fractam gravissimè ultus
est Dominus, 2. Sam. 21. Porro Ezechias punitur à Deo, quod
fœdus iētum cum infideli rege Nabuchodonosore rupisset, 2. Pa-
ralip. 36. v. 13.

III. Cui fidem dare jus est, eidem etiam servare jus
est: & cui fidem frangere fas est, eidem dare nefas est.
inquit Bodinus lib. 5. de Repub. c. 6. hinc ita subsumimus.
At qui hæreticis fidem dare jus est: probatur, quia & illi jus
gentium nobiscum commune habent. Ergò &c. Deinde si hæ-
reticis frangere fidem est fas, ipsæ non debet dari. Sed datur
à Pontificis, hæreticis fides. E. non debet frangi. IV. Ju-
ramentum est insignis Dei invocationis species. E. cum
eo non ludendum. V. Fides justitiæ totius unicum
est firmamentum, quo non modò Respub. sed omnis societas
humana continetur. Bodin. lib. 5. cap. 6. pag. 886. Item
nulla res vehementius Respub. continet, quam fides, quâ subla-
ta, etiam unà de pulcherrimis virtutibus justitia cum huma-
nâ societate tollatur necesse est. Bodin. ibidem pag. 890.
Ergo perjurium est destructio societatis humana: Ergò repu-
diandum, Ergò servanda fides. VI. Quid? quod Ponti-
fex ipse maximus quoties sacris initiatur, accipit ab ipsis judæis
fidem, eosq; religionis suæ institutis summâ cum libertate frui
patitur. Quî igitur, (inquit Bodinus) patribus Constan-
tensis concily venit in mentem hæreticis omnem abrogare fi-
dem? VII. Huc accedit Caroli V. Imperatoris auto-
ritas, qui Luthero, quem Pontifex diris execrationibus quasi
C Ecclesia

Ecclesie Romanae hostem devoverat, fidem tamen inviolatam servavit: dicens, fidem rerum promissarum etsi toto mundo exulat, tamen apud Imperatorem consistere oportere. Zenocarus in vita Caroli. Itaque equitum turmas alis quot eidem Luthero dari iussit, quo usque salvus & incolumis domum revertisset. Quod cum ita sit, sceleratè sanè & nefariè contra fidem datam in concilio Constantiensi crematus Johannes Hussus est, cum Hieronymo Pragensi discipulo su. Sleid. lib. 3. pag. 63. Sceleratè itidem Eccius Theologus cum complicibus suis Constantiensis concilij decreta secutus, fidem Luthero servandam publicè negavit, in eumq; eodem jure ipsdemq; panis, quibus in Hussum & in Hieronymum, animadverti cupiit. Sceleratè quoque hoc concilij decreto armati Patres Cardinalem tituli sancti Juliani legatum in Pannoniam miserunt, qui Hunniadi fortissimo duci significaret, fœdus cum rege Turcarum contractū violandum esse & bellum renovandū. Nam quem eventum consecuta sit perfidia ista, sanè & Christiana Respublica magno suo malo experta est, & ipse etiam legatus, qui à latronibus cæsus est. Sed & impiam illam Lysandri & Philippi vocem damnamus, quos dicere solitos ferunt; pueros quidem astragalus, cæteros jurejurando falli oportere Plutarch. in Lysand. Aelianus lib. 7. c. 12. Neque enim perjuris unquam benè fuit: habet jusjurandum filium, qui neq; nomen, neque manus neque pedes habet: & tamen hic insequitur & ulciscitur perjuros, neque desinit ab ultione priusquam totas familias funditus extirpet: uti Herodoti oraculum græcum de perjurio loquitur.

Atque hætenus illæ virtutes pertractatæ sunt, quæ ad ipsum habentem referuntur, dicunturque simplices: nunc ad justitiam $\kappa\alpha\tau\iota\varsigma\ \tau\omega\nu\ \alpha\gamma\epsilon\tau\omega\nu$ Aristot. 5. Eth. c. 1. seu

7. seu omnium virtutum reginam ac dominam excellentissimam & splendidissimam Cicero 3. off. veniendum est; *cujus exercitium atque πρᾶξις potissimum in aliis perspicitur.* Arist. 5. Eth. cap. 1. *quæq; rectè virtus simplicibus conjuncta,* Scrib. lib. 5. Eth. pag. 47. Et ἀρετὴ κοινωνικὴ. 3. Polit. c. 8. & ἀλλότριον ἀγαθόν dicitur, 5. Eth. cap. 1. *Quæritur igitur*

QUÆSTIO VI.

Quid jus sit & quotuplex: quid justitia & quotuplex?

Ad singula respondebimus, ac 1. quidem de jure. Cum enim causa justitiæ sit Keckerm. lib. 1. Syst. Eth. c. 4. pag. 173. *utique non immerito justitiæ præcesserit: Tametsi non negemus, etiam effectum & objectum justitiæ rectè ab eodem Keckermann: dici ibidem pag. 173. eaque ratione sequi justitiæ debere. Ius igitur (quod Agricola de invention: lib. 1. c. 5. à Jubendo; alii à justitia tanquam concretum ab abstracto logicè derivant) est quod in mutuo societatis usu, recta ratio præscribit, Diogenes Laert. lib. 10. Cic. lib. 1. de legibus; seu ; est sententia imperans honesta prohibens contraria. Species ejus duæ sunt: jus naturale & legitimum sive positivum, Keckerman. Syst. Eth. lib. 1. c. 4. Scribon. Eth. lib. 5. c. 7. pag. 53. Naturale Aristoteles ita definit, quod ubique eandem vim habet & non quia vel ita videtur, vel minimè. Brevius Icti; quod natura omnia animalia docuit. Legitimum est, quod non naturam sed lege & institutione comprehensum, Arist. 5. Eth. cap. 7. Plures & specialiores juris divisiones hic consultò omittimus: tum quòd angustia chartæ omnes enumerare non sinit, tum quia ad hanc nostram facile redigi videntur posse.*

C a Ad

Ad justitiam venimus: de cujus etymo inter auto-
 res non est exigua dubitatio. Alciatus enim illam sic vult
 dictam, quod vim sistat; Hotomannus, quod in ea jus
 sistatur: Isidorus quasi juris statio. Alij aliter, nos A-
 ristoteli hac in parte subscribentes à jure justitiam dici ar-
 bitramur: eamque cum eodem Aristot: finimus: habitum
 quo homines idonei sunt ad res justas agendas, eademq;
 etiam agunt, & volunt. 5. Eth. c. 1. Dividitur vulgò
 in justitiam universalem, νόμιμον δικαιοσύνην, & particula-
 rem specialiter ἰσότητος dictam, Arist. 5. Nicom. c. 1.
 Universalis est obædientia erga omnes leges: seu: quâ
 vitam & mores instituimus secundum leges, & ex ipsi-
 us præscripto universas virtutes colimus Heilan. lib. 5.
 Eth. c. 2, pag. 79. Sed hæc non est hujus loci, neque ab a-
 liis virtutibus differt, nisi ut χεῖρισ καὶ κῆσις; ἔξις καὶ πρᾶξις:
 ἢ μὲν πρὸς ἕτερον, δικαιοσύνη; ἢ δὲ τοιάδε ἔξις ἀπλῶς ἀρετή Arist.
 5. Eth. cap. 1.

Particularis est, quæ in distributione & commu-
 tatione rerum servat justam æqualitatem, qua unicui-
 que tribuitur id quod ei debetur. Aristot. 5. Eth. 2. Spe-
 cies ejus duæ sunt, distributiva una, altera cummuta-
 tiva. Distributiva est virtus; quæ in distributione bo-
 norum vel malorum externorum rationem habet
 dignitatis, personarum, & æqualitatis rerum, ut sin-
 gulis pro earum merito suum tribuatur, Keckerman.
 lib. 2. System. Eth. pag. 249. Ex Aristotele lib. 5. cap. 2.
 Huc referri potest virtus Conimbricensium punitiva,
 & remunerativa: vide Coll. Conimbricens. disput. 9.
 Ethic. quæst. 1. artic. 1.. Item Justitia judiciaria,
 de qua Keckermannus lib. 2. System. Eth. pag. 248. Ju-
 stitia commutativa græcè σωμαλαυική, item διορθωτική
 Aristoteles. 5. Eth. cap. 2. & 4. est virtus, quæ in contra-
 ctibus

Atibus specialibus, & in rerum commutatione nullo habitu personarum respectu eam servat rerum æqualitatem ut suum quisque consequatur, & nulla parte defraudetur Keckerman. Syst. Eth. lib. 2. c. 5. ex Aristotel. 5. Eth. cap. 4.

QUAESTIO VII.

Christianorum politiæ num ex Mose constituendæ?

Cum Carolstadio, Castellione, eorumque complicibus nobis res est, qui Respub. Christianas ex legibus Mosaicis constituendas, & res politicas dijudicandas; adeoque jus Romanum, quo fruimur; penitus exterminandū è finibus Ecclesiæ contendebant, propterea 1. quod Deus legum Mosaicarum autor sit. 2. Quod indignum sit populum Dei Ethnicorum legibus vivere 3. quia magistratus certus esse non possit ex legibus Romanis iudicans, an ulla à se lata sententia Deo placeat, cum verbum Dei non habeat adeoq; sine fide agat: & sapientia, id est filius Dei, Prov. 8. v. 15. exclamet, per me reges regnant, & princeps decernunt justitiã. 4. Quia abrogatis Mosaicis legibus, omnia ad Ecclesiæ, ministerii & scholarum constitutionem pertinentia tollerentur.

Sed enim libertati Christianæ assertionem istam è diametro adversari quis non videt? Rectè igitur Calvinus in negantem concedit lib. 4. instir. c. 20. sect. 14. negat item Philippus Melancton Tom. 4. disp. Negamus & nos 1. Quicquid ita abolitum est, ut prorsus sit extinctum, ex eo sanè Respub. nostræ constitui nequeunt. Atqui tota politia Mosaica cum legibus forensibus ita est abolita, quoad particularem rationem, ut prorsus sit extincta,

Chemn. 2. part. loc. Theol. de lege Dei, pag. 40. Ergò &c.
Minor tamen si negari haud possit, in æquioribus tamen pro-
babimus Deut. 18. v. 18. Ibi Deus promittit alium post Mo-
sen Prophetam suscitaturum; & ponam, inquit, verba mea in
ore ejus, quem audietis. Atqui Prophetam ille jam pridem ve-
nit. Ergò Mosis antiquatæ leges sunt. Epistola autem Heb. 8.
v. 13. clarius aliquantò id explicans, ita argumentatur: di-
cendo novum antiquavit prius. Quod autem antiquatur,
& senescit, propè interitum est. Conferantur huc loca similia
Gen. 49. v. 10. Eph. 2. v. 14. 15. Col. 2. v. 16. Gal. 4. v. 10.
quæ singula dicta de abrogatis legibus forensibus & ceremo-
nialibus loquuntur; At verò destructis legibus, quis ipsam
politiam unà quoque corruisse neget; quippe cum leges istæ
nervi hujus politie seu potius ipsa politia fuerint. Adamus
Francis: Marg. Theol. loco 5. de lege pag. 73. Huc et-
iam facit destructio templi, cujus instaurationem cum autori-
tate Iuliani Apostatæ denuo molirentur Iudæi; quid
ipsis acciderit, notum est. II. Quarum legum obser-
vatio injusta, inutilis, & ejusmodi est, ut sine gravibus
peccatis ac Dei offensione fieri nequeat: ea sanè intro-
ducenda non est. Atqui talis est legum Mosaicarum,
observatio. Ergò &c. Minor probatur. Si enim polygami-
am velimus recipere, permissam Deut. 21. v. 15. & eam que
est de ducenda fratris sive sobole defuncti vidua Deut. 25. v.
5. de viri coeunte cum ancilla alterius, viro desponsata, id est,
quæ alterius concubina est Lev. 19. v. 20. de bove cornupet &
servum aut ancillam occidente, Ex. 21. v. 32. de detectis ambula-
toris peribolo loricato cingendis Deut. 22. v. 8. & si quæ sunt
aliæ hujus generis leges, quæ sanè sunt plurimæ: Ad has, in-
quam, si nostras Respub. conformemus, quæ queso existat in-
de confusio, quæ difficultates? quæ peccata? Plane ut di-
sturbari potius ac dirui quam contineri rerum publicarum
compages ac membra necesse sit. III. Ple-

III. Pleraque leges Mosaicæ ad populi Iudaici ingenia & hæreditariam quasi indolem singulariter accommodatæ fuerunt. Ergò ex illis secundum quid tantum concessis de nostris politicis rebus judicari simpliciter non debet. Antecedens probatur: fuit enim populus ille Iudaicus præceteris insigniter, rebellis, contumax, præfractus, σκληροτεράχνηλ & καὶ ἀπερίτμητ & τῆ καρδίᾳ, intractabilis & perversus: Id quod non Moses modo in deserto expertus est; verum etiam ipse Deus vehementissimè de hac illorum σκληροκαρδίᾳ & obduratione conqueritur. Psal. 94. v. 8. 9. 10. 11. & Ierem. 3. v. 4. 5. Act. 5. v. 31. Deus igitur pro immensâ suâ bonitate illis in Ecclesiâ infantia & pueritiâ sub illa legis pedagogia ad multa connivere voluit, ad quæ jam in Ecclesiæ ætate virili non conniveret. Hinc factum, ut patri inopi filios vendere licuerit. Ex. 1. v. 2. Hinc libellus repudii levissimâ de causâ uxori datus Deut. 24. v. 1. hinc polygamia permissa, cuius non Deus auctor primus extitit, sed nefarii illi atque impij homines Lamech, Esavus & Laban.

Quamquam non negamus, ex forensibus hodie multas adhuc leges observari, cuiusmodi est lex primogenitorum in capeffenda hæreditate in Gallia & alibi: lex asylorum &c. Notandum tamen & illud est, fieri hoc non de jure aut obligatione, sed tantum de facto ac consuetudine. Pro personarum enim, rerum, aliarumque circumstantiarum ratione pro libera legislatorum voluntate, quædam in usum revocari possunt: usque eò, ut ipsum etiam Sabbathum eodem cum Iudæis die recolli & observari posse fateamur, nisi aliud quid monstri observationi isti subesset.

IV. Quicquid legis naturalis fundamento superstru-
tum, adeoque ipsius etiam DEI est, id sanè non
abrogan-

abrogandum. Sed leges gentium quibus nos utimur, sunt tales, uti in sequentibus demonstrabitur. Ergo non abroganda, Ergo bonam conscientiam sub iis vivere possumus.

Ad argumenta contraria quod attinet, respondemus ad 1. committi in eo fallaciam secundum quid. Est quidem Deus autor legum¹ Mosaicarum, sed idem etiam iisdem certum durationis terminum praefixit: ut supra ostensum. Nulla igitur Deus hac in parte, injuriam afficitur. Ad 2. Resp. negando: neque enim leges illae Ethnicorum sunt, sed ipsius Dei, & naturae qui immediate in cordibus illorum legem moralem primus insculpsit, ad cujus ipsi deinde principia ac normam leges suas conformarunt. Ergo indignum non est legibus nos Ethnicorum vivere. Ad 3. Resp. iterum negando: Judex enim quatenus sortitur respectum hominis spiritualis, potest omnino certus esse de sententia sua ex verbo Dei divinitus revelato: quatenus autem attenditur in iudice ratio hominis naturalis, eatenus iudicium ab eo fieri potest ex lege naturali. Est igitur ἔλεγχος ὡσαύτως τὸ ἐλλεγεῖς τῆς διαίρεσεως. 2. Committitur etiam in utraque probatione Elenchus oppositorum: leges enim Ethnicorum convenientes cum Decalogo non opponuntur sapientiae Dei, sed ipsa Dei sapientia sunt mediate scilicet. Ad 4. Resp. tum aliquid concluderetur, si penitus illa forensia tollerentur à medio, quod à nobis non fit. Testamur enim, quicquid in legibus Mosaicis immutabilem & perpetuam habet rationem, & naturam, id jure communi immutabiliter & semper, quasi adamantino vinculo omnes homines omnibus temporibus & locis obligare. Quare cum ejusmodi multa universaliter contineantur in forensibus illis, quae tandem ratione tolli à nobis queant? Fierum ἔλεγχος ὡσαύτως τὸ πῆνευ ἀπλῶς. Plenioris autem perspicuitatis gratia porro ita querimus.

QVÆ-

QUAESTIO VIII.

Num leges Mosaicæ non magis ad nos,
quàm Solonis aut Draconis
pertineant?

Leges Mosaicæ in triplici sunt differentia: quædã mo-
rales, quædã ceremoniales, quædã forenses. De moralib.
nõ est dubiũ. *Cum enim illa sint aterna divina justitiæ ratio,*
Hafenreff. lib. 3. loco 4. de lege & Evangelio, *primitus*
in hominis creatione omnium animis hominum insculpta,
Rom. 2. v. 14. 15. *deinde iterum in monte Sinai duabus lapi-*
deis tabulis immediatè digito Dei descripta ac repetita. Exod.
24. v. 12. cap. 32. v. 16. Deut. 4. v. 13. *ministerioque angelo-*
rum & Mosis ad nos pervenerint. Act. 7. v. 53. Gal. 3. v.
19. Heb. 2. v. 2. *Quis non videat illas ad nos magis pertinere*
quàm Solonis & Draconis? De posterioribus quærimus,
quæ non unius ac ejusdem sunt generis. Primùm enim
quædam solis Iudæis, eorumque politicæ ceu jura muni-
cipalia singulariter sunt accommodatæ, adeoque tem-
poranæ & mutabiles: quædam juri naturæ & Decalo-
go sunt consentanæ, *in eõs fundatam rationem ac sedem*
habent: sive, quod idem est: ex quibusdam genus aliquod vel
universale cum lege naturali ac Decalogo congruens elici po-
test: ex quibusdam non, quæ Iudæorũ propria. Dicimus ergò,
si illud prius genus legũ attendatur, quod naturale est,
magis ad nos illud pertinere, quàm Ethnicorum: *Sic*
enim secus fieret, sanè insigni Deus & Moses injuria afficerõ-
tur, id quod curvis liquet. De posterioribus autem Mosai-
cis legibus, si queratur, in quibus morale nihil, respondemus
neq; illis, neq; has Solonis vel Draconis ad nos quicquã perti-
nere: Neq; verò ullã propterea Deo cõtumeliã fieri arbitramur;
Ita enim lata a Iudæis à Mose illa leges sunt ut semper addere-

D

tur.

tur, hæc servabitis in generationibus vestris. Non igitur
ἀπλῶς & simpliciter rejiciuntur, sed quia ipse omnium legum
autor illas aliquando abrogari voluit Deus. Conseratur huc
Lutheri locus ex Tomo 1. VVittebergensilatio fol. 7. ubi ait:
leges populo Judaico propter politicam gubernatio-
nem traditas ad nos non magis pertinere, quàm Solo-
nis aut Draconis leges.

QUÆSTIO IX.

An origo Ethnicarum & Romanarum le-
gum sit ex legibus divinis & Mo-
saicis desumpta?

Quid nî? Credo mirabile hoc quibusdam, atque adeò
μαρξίδοξον quoddam videbitur & sine certis autoribus atque
fundamentis pronunciatum. Verùm ut omne dubium penitus
è medio tollatur, ita lubet procedere; si leges Romanæ ex
Græcorum & Atheniensium legibus, hæc ex Aegyptio-
rum, & hæ vicissim à Mercurio Trismegisto, hujus au-
tem à Mose derivatæ sunt, & quasi de manu in manus
traditæ; sequitur Ethnicas & Romanas leges à divinis
esse desumptas. Sed verum antecedens E. & consequens.
Assumptum ex historicis fide dignis per membra proba-
tur. Ac primò quidem, quod ad Romanos attinet, cer-
tum est, Romanum imperium regum legibus initio fuisse gu-
bernatum atque administratum annos 244. Expulsis autem
regibus leges simul etiam eorum expirasse, atque in desuetu-
dinem abiisse, tot à gubernatione ad consules, ab his ad Tribu-
nos devolutà. Contentione autem de legibus novis ferendis
diu multumque inter Patres & Tribunos agitata, cum aliud
his

his, aliud illis videretur; tandem ne quis esset invidia locus, leges extraneas habere placuit.

Missi igitur legati sunt Athenas Sp. Posthumus, Albus T. Manlius, P. Sulpitius, Camerinus, jussiq; Inclitas Solonis leges describere, aliarumq; Græcia civitatum instituta mores juraq; cognoscere. Legatis his cum Atticis legibus redeuntibus, intentius Tribuni instabant, ut scribendarum legum initium tandem fieret. Anno igitur V. C. 302. sub Artaxerxe Longimano post liberationem Iudeorum è captivitate Babylonica Decemviri creati sunt, qui ingenti hominum expectatione propositis decem tabulis ad concionem advocarunt populum, eundemq; illas leges solenni voto atque appreciatione factâ legere jusserunt: Centuriatis autem comitiis prolatae sunt X. tabularum leges, quibus cum aliquid deesset, duas ex publica potestate Hermodoro Ephesio autore, citante VVilhelmo Zeppero lib. 1. Mosaic. leg. explan. c. 13. cujus etiam meminit Rhodiginus lib. 4. lect. antiq. c. 25. adjecerunt, quibus propria Romanorum leges continebantur, suntq; postea XII. tabularum leges appellatae. Constat igitur de Romanis. Græcos autem & Athenienses eadem ferè fortuna initio afflixit. Nam & apud illos primum imperium penes reges erat, nullis legibus tenebantur, arbitria principum ac libido erant pro legibus: donec mortuo Codro, qui ultimus regnavit Athenis, administratio Reipub. annuis magistratibus committeretur. Ibi cum magna in Aristocraticâ illorum Republica dissensio inter optimates & infimam plebem extitisset: Solon Salaminus septem græcia sapientum sapientissimus, ut à Platone in Timæo: justitiâ vir insignis, uti à Iustino lib. 1. nominatur; ab utrisque eligitur, ad leges Reipub. sue ferendas ita quidem, ut senatus referente Plutarcho in vita Solonis communi jurejurando se astrinxerit. Solonis leges ratas habiturum per decem annos.

D 2

Legibus

Legibus igitur Draconis, quae vel ab autore, vel à loco iudicii, cuius signum terribile erat Draco, sic dictae sunt, abrogatis Cario parte 1, Chron. lib. 2 in Soione; Solon Atheniensibus leges ita tulit temperatas; ut & à plebe, & à senatu parem gratiam tulerit. Iustin. lib. 2: actiones forenses ita distinxit, ut eorum ordo pœnè ad Decalogum congruat Cario loco dicto. Caterum leges istas unde habuit Solon? an ex graecorum libris atque praeceptis? Minime. Ex Aegypto attulit. Testis est Diodorus Siculus, qui Biblioth. lib. 2. cap. 3. & 6. ita scribit. Qui plurimum doctrinâ excelluerunt, in Aegyptum transierunt, ut leges eorum & studia cognitione digna perciperent. Inter hos autem recenset Orpheum, Homerum, Pythagoram, Solonem, Lycurgum Platonem, Eudoxum, & Democritum. 2. Testis est Plato, qui in Timæo: priscos, inquit, Athenienses jam extinctos sacra Aegyptiorum literæ eruerunt. 3. Idem Diodorus Siculus, lib. 1. cap. 6. ait. Aegyptios quosdam Atheniensium duces fuisse. Ergò hoc magis leges illorum his innotescere potuerunt. 4. Quid? quod eundem Solonem legibus latis constat in Aegyptum legum & contemplandi causa ad Hamasim & sardis ad Croesum esse profectum. Autores sunt Plutarchus & Herodot. lib. 1. Atque sic etiam Graecarum legum initia atque ortum vidimus: videamus etiam Aegyptiacarum legum auctorem Hermetem vel Mercurium. Vixit igitur in Aegypto poulo ante Mosen circa annum mundi 2435. diciturq; Platoni in Phædro Theut. Philosophus fuit excellentissimus unde etiam θεοπύσιος ter maximus cognominatus est. Tametsi Suidas propterea eum ita dictum existimet, quia fuerit Trinitatis divina assertor in una essentia. Regiâ dignitatem adeptus est: siquidem autore Platone de regno; apud Aegyptios ex Philosophis sacerdotes, ex his reges deligebantur: neque enim regem absque sacerdotio imperare licuit. Hunc igitur

tur Hermetem fuisse Aegyptiorum Legislatorem, probatur
 ex Lactantio lib. 5. divinarum instr. c. 6. qui Trismegistum
 hunc occiso Argo in Aegyptum profugisse, atque Aegyptius le-
 ges ac literas tradidisse aperte affirmat. 2. Ex Arnobo lib.
 4. adversus gentes qui itidem literarum proditorem apud
 Aegyptios Mercurium hunc vocat. IV. At enim unde Mercuri-
 rius hic leges suas accepit? Ex Mose. 1. probo ita: quia usq[ue]
 adeo manibus versasse Mosen dicitur, ut commentator ipse us
 in Dialogum Pimandrum annotet, in Dialogo illo Mercuri-
 um mera Mosaica mysteria tractare videri; ubi post collatio-
 nem eorum, qua in Dialogo illo habentur, cum creationis hi-
 storiâ ex Genesi institutam, ita concludens: Moses, inquit,
 divino instituto dux sit Hebraei gregis, Mercurius Aegypti. 2.
 Ludovicus Vives in commentar. super Augustinum lib. 18. de
 civitate Dei cap. 39 Mosen quoque dedisse Aegyptiis literas tra-
 dit, Mosemq[ue] esse Mercuriû illum. Idem scribit Renatus Laur.
 in Tertul. lib. adversus Valent. Mosen ipsum Hermetem esse
 qui propter literarum inventionem id nomen apud Aegyptios
 consecutus sit. Quod si ita est: habemus quod volumus: sin
 alius quispiam à Mose Mercurius hic fuit; illud tamen ma-
 net, ex Mose illum leges & Philosophiam suam penitus hau-
 sisse, atque eâ de causâ Mosis illud cognomentum esse conse-
 cutum. His igitur ita stantibus firmiter statuimus, le-
 ges Ethnicorum, & quidem ad alteram potissimum
 Decalogi tabulam pertinentes, ex Mosaicis fontibus,
 tanquam perennes quosdam rivulos, esse derivatas, atq[ue]
 ab iisdem omnem autoritatem ac decus mutuari, non
 secus ac Luna & stellæ suum à sole splendorem.

QUÆSTIO X.

An in mutuo simpliciter fas nō sit ultra sortem
 aliquid exigere; vel num omnes absolutè indiscretè
 usuræ sint prohibita?

D 3

Quæstio

Quaestio certè in Ictorum & Theologorum scholis celebratissima eademq; difficilima. Videamus quid ex praescripto verbi divini statuendum sit. Majoris autem intelligentia gratia prius vocabuli usuræ vim attendendam ducimus, cujus non una est apud autores derivatio. Alii enim compositum putant ab usu & ære, quia usus æris in usuris potissimum dominetur: alij ab utendo, vel quia usu æris aliquid alieni accidit sorti; vel juxta Ambrosium, quod ut vestes usu; ita usuris patrimonia scindantur, lib. de Tobia, c. 13. Atque huc optimè referrì possunt Hebraea vocabula latine derivationi sermè gemina; quale est 1. תֹּעֲבָרָה אֶעֱבֹר, quod propriè est abradere, vel atterere: quò respexisse videtur Baldi Icti similitudo, quâ usuram Terebinti, id est, vermiculo ligni medullam erodenti comparat. Chemnic. part. 2. loco Theol. c. 6. pag. 431. 2. תֹּעֲבָרָה cujus radix תֹּעֲבָר, ubique ferè de morte serpentis accipitur. Græci nominant usurã τὸνον ἀτίξεν id est, pariendo, quod in illâ nummus subinde simile sibi gignit, nummum scilicet. Aristot. 1. Polit. c. 7. D. Först. decad 3. probl. Theol. ex Decalog. probl. 2. Atque hac de vocabulis libuit inserere, quorum consideratio non omnino est inutilis; suppeditat enim nobis duplicem acceptionem usure, ut alia sit mordens, quæ aliàs lucratoria dicitur, alia compensatoria. Mordens est exactio totalis, qua bona & facultates proximi atteruntur, & eraduntur, ita ut ipse non relaxationem sed afflictionem sentiat. Compensatoria dici solet contractus, quo pecunia elocatur hac conditione, ut non modò fors suo tempore restituatur, sed insuper census pendatur annuus, qui tamen modum legibus præscriptum non excedat. D. Först. loco dicto.

Mordentem igitur illam meritò damnandam, & tanquam pestem nocentissimam ex hominum societate penitus

tus

*Ius tollendam judicamus, quippe quam scriptura planè ex-
cretur. Deut 23. v. 19. Proverb. 28. v. 8. Exod. 22. v. 25. &
& 27. Levit. 25. v. 35 36 37. 38. &c. & quæ sunt similia
loca. Compensatoriam autem omnino licitam statui-
mus. 1. Quia autoritate Imperatoriâ & nominatim quidè
ann. 30. in Comitibus Augusta habitis est approbata. 2. Auto-
ritate Pauli 2. Cor. 8. ne aliis sit relaxatio, vobis autem af-
flictio. 3. Eiusdem Apostoli autoritate 1. Timot. 5. v. 2.
ubi infideles eos nominat, qui suorum curam non gerant, di-
cit q̄ infideli deteriores esse, & fidem negasse. 4. Huc acce-
dit caritas Christiana, quæ sibi proxima est, atque à se inci-
pit 5. Si usura esset penitus tollenda è Rebus publ. merces è re-
gionibus remotis non possent advehi, & negotiationes conser-
vari. 6. Ius divinum non abolet politias & contractus le-
gitimos, imò commendat potius, Ergò non tollit usuras, sine
quibus politia consistere nequit. Neque verò ita indiscrimi-
natum usuras adhiberi volumus. Distinguendum
enim est inter hominum gradus, qui in triplici sunt
classe, 1. quidam enim in extremo gradu pauperes sunt,
hoc est mendici: his pecuniam nemo erogat in censum, aut
mutuum dat, cum constet, reddere illos nullo modo posse.
Itaque quicquid illis datur, Eleemosyna est. Remotos igi-
tur istos hinc volumus. 2. Quidam sunt mediæ cujus-
dam fortunæ, qui non omninò nihil possident, unde reddant:
gracè tenentes. Isti vel mutuuntur ab aliquo, vel ipsi alijs dant
mutuum. Si mutuuntur ab æquè egentibus sanè tenentur non
modo sortem reddere, verum etiam ulterius aliquid, hoc est,
damnum quod ex mutuo gratuito eventurum erat, aliquo
fructu compensare. Creditori enim potior habenda suorum cu-
ra est, quam debitoris. 1. Cor. 5. sin verò à divite mutuuntur:
dives ultra sortem nihil postulabit Luc. 6. v. 35. Prov. 3. v.
27. Malach. 3. v. 42. Syracid. 29. v. 1.*

3. Qui-

3. Quidam divites, quibus licet τὰ βίτηνὰ vel etiam plus, quàm ad necessarios usus requiritur, suppetant: tamen cùm & ipsi interdum commerciis aliisve rebus gerendis operam dent, sanè & ipsis mutuatione pecuniæ ad rem facilius faciendam opus est. Ab his ultra sortem aliquid amplius pensionis annuæ loco omnino licet recipere, ita tamen, ut ista notentur. 1. ut fors sit grandiuscula. *Excipimus hic indigentiores, quibus summa 10. aut 20. florenorum tanta est, quanta ditioribus floreni mille.* Illis igitur summam aliquam tenuem ac parvam elocare etiam in mutuo cum stipulatione census licet. 2. Ne pensio isthæc 5. Florenorum quantitatem excedat. 3. Ut tempus item benè sit longum. *At quæris? si debitor statim post initum elocationis contractum tantum damnum accipiat, ut unde sortem reddat, vix habeat, nedum ut ultra sortem aliquid solvat amplius, quid hic agendum? Resp. & sortem & pensionem esse remittendam integram, idq; jure dilectionis Christianæ, quam totius hujus negotii magistram & moderatricem esse convenit. Atque ita sententia nostra expedita esto.*


De argumentis, quæ contra usuram partim ex scriptura partim ex Lutheri libello, cui titulum fecit, Vermahnung an die Pfarrherrn wider den Wucher zu predigen! &c. afferris solent: de iis inquam, argumentis non sumus solliciti, cum de usura propriè sic dicta singula ferè loquantur, quam & nos ipsi damnamus. Videantur hæc de re plura apud D.D. Försterum Dec. 3. probl. Theolog. ex Decalogo probl. 2.


F I N I S.

X 2677027

VD 17







zu 7.
(91)

M ILLUSTRUM
DECAS IX.

IBUS HO.
JURE ET
ITIA,

nam
ratia divina,
bergensi Academia,

S I D E
YMO VIRO,

VELSTENIO,
alis Prof. Publ.

am suscipiet
HENRICUS
ensis Silesius.
b. horis locoq. consuetis.

mor. lib. 1.
ntermalos laudabiliter
tri.

BERGÆ,
rmanii, Anno 1610.

